

768 II. Secundum crimen impedimentum creans inter reos est: Adulterium cum machinatione mortis, seu crimen „*uno patrante*“.
Requiritur videlicet 1) adulterium, ut supra.

2) Loco mutuae promissionis sufficit, ut alter ex adulteris conjugicidium (aut proprii aut alterius conjugis) sive physice sive moraliter commiserit, idque intuitu matrimonii cum complice adultero ineundi. Quae intentio aliquo externo signo seu externis conjecturis se utique prodere debet; at practice prava illa mens ex subsequenti matrimonii tractatione facile colligitur: v. S. Alph. l. c.

3) Mors debet realiter ex crimine esse secuta.

4) Non requiritur, ut alterius crimen alter cognoverit vel cognoscat.

769 III. Tertium crimen est: Conjugicidium cum conspiratione, seu „*utroque patrante*“.

Requiritur nimirum: 1) conspiratio utriusque in necem alterutrius conjugis; 2) mors ex tali conspiratione revera secuta; 3) intentio matrimonii saltem ab alterutro conspirantium habita, atque ita habita, ut hac de re externe aliquo modo constare possit. Id ex probabili auctorum interpretatione colligitur, quamquam ipsum jus scriptum haec non ita clare exprimit: quod approbatur a S. Alphonso l. c. 1034 et Feije op. cit. n. 453.

Notandum 1. Conjugicidium adeo constituit impedimentum dirimens, ut ne tum quidem Ecclesia ad ineundum matrimonium complices admittat, si unus infidelis, fidelis alter fuit, et ope fidelis alter nunc ad fidem catholicam etiam conversus est. — Ita clare habetur in Decretal. l. 3 tit. 33 cap. 1 „*Laudabilem*“: „Interrogasti de Saracenis, qui, dum in captivitate essent, quarundam christianarum viros earum insidiis et machinationibus occiderunt, utrum, quia postea per ipsas ad fidem christianam conversi sunt, eas de jure possint accipere in uxores, vel si duxerint, conjugium eorum teneat. — Hic Triburiensis Concilii regulam contenti sumus asserentis, quod, si in mortem ipsorum malitiose fuerint machinatae, licet earum studio ad fidem accesserint, nec tamen eis adhaerere debent, nec sunt, si adhaeserint, etiam tolerandi, quum tale damnum tali luero Ecclesia compensare non velit.“ Idem ex paritate causae dicendum est, si crimen I. aut II. intercesserit, si modo in II. crimine conjux *fidelis* machinationem mortis commisit.

Notandum 2. Si cum conspiratione in conjugicidium adulterium et promissio junguntur, erit *duplex impedimentum*.

770 Notandum 3. Reservavi ad hunc locum quaestionem, utrum hoc criminis impedimentum ut adsit, cognitum esse debuerit delinquentibus, quum crimen patrarent: an etiam ignorantes afficiat.

Circa quam quaestionem Gury II. n. 788 respondet, ignorantes eodem modo affici, idque communius doceri cum Lacroix et aliis: eo quod illa impedimenta habeant primarie et principaliter rationem vinculi, secundario rationem poenae.

Sed hujus responsi sensus diligentius inquiretur oportet. Si enim haec ita intelliguntur, ut Ecclesia dicatur in hoc impedimento statuendo potius attendisse naturalem quandam indecentiam, quae sit in conjunctione horum complicum permittenda, non vero intendisse adeo gravamen delinquentium,

quod pro poena statueret: id non videtur omnino esse verum. Si autem solummodo asseritur, legem irritantem quamlibet esse intrinsicus et essentialiter vinculum quoddam, poenam vero non ex interna sua natura generica: hoc unicuique patebit. At rationem seu finem, cur *haec specialis* lex ab Ecclesia statuta sit, esse criminis commissi poenam, seu aliis verbis, hujus legis internam rationem a legislatore intentam esse punitionem, testatur Card. de Lugo *de poenit.* disp. 16 n. 337, imo a scriptoribus *communi sententia* supponitur. Quia vero motivum finale et rei ratio formalis, sub qua intenditur, illud est, quod est in re praecipuum, merito dixeris, impedimenta, de quibus agimus, *principaliter habere rationem poenae*.

Unde nondum efficitur, ut illa poena ab ignorantibus non incuratur. Nam etiam ii, qui rationem poenae in hisce impedimentis primariam esse fatentur, in duas partes dividuntur: alii dicunt, ignorantes lege affici, alii negant. Solutio quaestionis igitur non ex eo peti potest, num a *qualibet* poena ignorantia excuset — id enim falsum est, sed num a *certis quibusdam* poenis ignorantia eximat.

In quem finem doctrina S. Alphonsi l. 6 n. 1074 est, „*probabilissimum esse, ab ignorantibus non incurri poenas a lege ecclesiastica impositas, quando sunt extraordinariae (vel exorbitantes), sc. quae per se ne in confuso quidem praevideri possunt*“. Quare ad id tandem tota quaestio reducitur, utrum lex poenalis matrimonii irritans pro extraordinaria et exorbitante poena merito haberi possit, an non. Auctores, qui affirmant, vide Gury-Baller. II. n. 788 nota.

Et re quidem vera, saltem si agitur de iis, qui cum crimine adulterii etc. matrimonium contraxerunt, legis ecclesiasticae irritantis ignari, poenam gravissimam et extraordinariam esse, matrimonium suum pro invalido declarari, seque cum scandalo separari: nemo inficias ibit. Quare saltem post contractum matrimonium omnino pro probabili haberi debet sententia docens, ignorantes hanc poenam non incurere. Quod esse non potest, nisi dicamus, legem impedimenti dirimentis pro poenam ignorantibus non adesse. Ergo, etsi ante matrimonium contractum poena haec tunc in se considerata adeo extraordinaria videri non debet, tamen *propter sequelas*, quae aliter matrimonium ab ignaris contractum sequerentur, probabile habeo practice, impedimentum non adesse, *dummodo neuter complex legem ecclesiasticam seiverit*: licet *suadeam*, maxime ante nuptias, ut petatur dispensatio.

Ratio, cur ultimam clausulam „*dummodo neuter legem seiverit*“ addam, habetur ex ipso cap. „*Laudabilem*“ supra citato, ex quo patet, alterutrum independentem a complice hac lege irritante ligari¹. Quodsi unus inhabilis est, matrimonium validum fieri nequit. — Ita etiam alii scriptores hanc poenam intelligunt, ut Navarr. *Manuale conf.* c. 22 n. 46: „Si uterque probabiliter ignorat (impedimentum), possunt matrimonium contrahere, simul atque mortuus fuerit, qui impediabat.“

Pro confirmatione sententiae, quae negat ignorantes lege hujus impedimenti affici, accedit, quod eorum scriptorum, qui contrarium docent, sententia *indirecte* impugnari potest. Plerique enim ex iis docent etiam

¹ Accuratius dicitur: si modo *ille*, qui scivit poenam, aut legi poenali subjacet, peccatum *ita complevit*, sicut impedimentum criminis requirit: aliis verbis, qui poenae conscius est, debuit in II. crimine machinationem mortis committere, in III. crimine *intentione matrimonii* machinationem illam aut facere aut in eam conspirare.

irregularitatem „ex delicto“ incurri ab ignorantibus, ut Suarez, Laym., Lacroix, Elbel, Pontius etc. (apud S. Alph. l. 7 n. 351). At haec opinio, praeunte S. Alphonso, hodie communiter reprobatur. Cur ergo non idem fieri potest quoad eorum doctrinam de impedimento criminis?

§ 13.

Impedimentum raptus.

⁷⁷¹ Quomodo et quamdiu inter raptorem et raptam impedimentum existat, habes ex Trid. sess. 24 *de ref. matr.* cap. 6: „Decernit sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quodsi rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.“

Igitur: I. Inter raptorem, i. e. qui sive per se, sive per alterum mulierem rapit, et raptam non potest matrimonium consistere.

II. Hoc impedimentum temporaneum tantum est, ita tamen, ut quamdiu mulier in potestate raptoris maneat, ipsa ne libero et voluntario quidem consensu facere possit, ut verum matrimonium exurgat. Valent nimirum ea, quae de impedimento metus dicta sunt.

III. Raptus, qui impedimentum hoc inducat, debet esse mulieris invitae abductio injusta, matrimonii ineundi causa.

Explicatio. Ad I. nota: 1. Intelliguntur igitur soli viri, qui mulierem rapiunt, non — si accidere potest — vice versa.

2. Intelliguntur ii, qui *sibi* mulierem rapiunt, aut rapiendam curant. Si quis igitur per alterum mulierem rapit, non exsecutor, sed mandans, qui eam sibi in uxorem habere voluit, impedimento raptus afficitur.

⁷⁷² Ad III. Ad raptum requiritur: 1) ut mulier abducatur *de loco in locum*, non sufficit e cubiculo in alterum cubiculum; 2) ut abducatur *matrimonii causa*, non solum ad implendam libidinem; 3) ut abducatur *injuste*: quare si raptum praecesserit conventio seu contractus, ex quo viro jus oriatur ad habendam mulierem uxorem, impedimentum non inducitur; 4) ut abducatur mulier *invita*: si enim ipsa consentit, vel sollicitat virum ut se auferat, fugam habes potius mulieris, timentis fortasse, ne ab aliis matrimonium impediatur. — Attamen, ne illud „invita“ strictius sumatur, nota: a) *non* requiritur *vis illata* — sic enim semper cum impedimento vis et metus confunderetur — sed sufficit, ut mulier fuerit fraude vel falsis promissionibus circumventa vel decepta: cf. Gury-Baller. not. tum hoc loco, tum I. n. 427; b) quando contractus de nuptiis nullus praecesserat, abductio mulieris utut volentis praesumitur facta esse per dolosam circumventionem: quare ex tali consensu in abductionem nullatenus concludi licet ad consensum in matrimonium, sed potius impedimentum raptus censetur seu praesumitur adesse: v. Riganti ad *Cancell. reg.* 49 a. n. 79, confer notam ad § 19 „*Instructionis Austr.*“ in Coll. Lac. V. col. 1288.

Quare facilius etiam pro impedimento raptus standum est, si agitur de puella sub potestate paterna constituta, quae invitae parentibus tutoribusve abducitur. Nihilominus etiam tunc, si sponsalia vera et valida praecessissent, raptus non adesset. Cf. *ibid.*, atque etiam Mansella c. I. art. V. n. 6.

§ 14.

Impedimentum clandestinitatis, seu: de forma substantiali, qua matrimonium contrahi debet.

Clandestinitas a Trident. Conc. post diuturnam discussionem ⁷⁷³ et pugnam pro impedimento dirimente declarata, nova prorsus impedimenti species est. Quum enim aliis legibus matrimonium irritantibus *ipsi contrahentes* immediate afficiantur, eorumque consensus mediate seu propterea nullus sit, quia contrahentes sunt inhabiles: hac clandestinitatis lege ipse consensus seu externa *consensus forma* immediate afficitur, et mediante legalis consensus defectu ipsi contrahentes inhabiles fiunt.

Lex autem Tridentina haec est: „Qui aliter quam praesente parochus vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.“ Sess. 24 *de ref. matr.* cap. 1.

Porro ut omnia, quae de clandestinitatis lege scitu necessaria sunt, clarius pateant, agemus 1) de objecto seu de re, quam praescribat lex Tridentina, 2) de extensione et limitatione huius legis, quo sciatur, quosnam liget, quos non liget.

Punctum I.

De re, quam lex clandestinitatis praescribat.

Res praescripta exprimitur paucis, si dicimus praesentiam proprii parochi et duorum saltem testium. Quare videndum est tum, quis sit legitimus parochus ejusve delegatus, tum quo modo parochus alique testes assistere debeant.

A. De legitimo parochus ejusque delegato.

Parochus tum ex loc. cit. Trid. Concilii, tum ex natura rei ⁷⁷⁴ alius intelligi nequit, nisi proprius contrahentium parochus; at quum sponsorum diversi possint esse parochi, dicendum est, alterius sponsi parochum esse legitimum matrimonii testem. Quamquam plerumque magis conveniens consuetudo id introduxit, ut coram parochus sponsae matrimonium contrahatur. At hoc ex convenientia fit, non ex necessitate.

I. *Proprius* parochus dicitur ratione domicilii aut quasi-domicilii alterutrius sponsorum.

II. Parochus intelligitur tum parochus proprie dictus, quamdiu parochus manet, tum ii, qui eminenter parochi jurisdictionem habent.

III. Quicumque ordinario suo jure matrimoniis assistere potest, id *alii sacerdoti* delegare potest.

Uberior explicatio. Ad I. nota: 1. In concilio Bituricensi anno 1850 (v. Coll. Lac. t. IV. col. 1119) haec statuuntur: „Parochus proprius quoad matrimonium est 1) parochus domicilii, 2) parochus quasi-domicilii, 3) parochus simplicis habitationis, dummodo contrahens unum saltem mensem in parochia commoratus fuerit (NB. Cave tamen, ne hunc tertium titulum *ubique* pro titulo sufficienti sumas, de quo statim infra plura), 4) minorum parochus proprius *insuper* est parochus domicilii parentum, aut eorum, quorum potestati loco parentum minores subsunt.“

775 2. *Domicilium* acquiritur alicubi translatione corporali cum animo ibi perpetuo manendi, *quasi-domicilium* eadem corporali translatione cum animo per magnam anni partem ibi habitandi.

Quare non sufficit intentio tantisper alicubi manendi, dum pro data occasione placitum aut commodum sit recedere, v. g. finito negotio, quod brevi fortasse componetur, sed quod etiam fortasse diu adhuc protrahendum est. Si quis enim etiam longo tempore tamquam hospes alicubi versatur, *quasi-domicilium* nullatenus contrahit.

3. Illud „per notabilem anni partem“, quod scriptores communiter commemorant, quando de contrahendo quasi-domicilio loquuntur, non necessario sic accipi debet, ut *per plures annos* aliquis statuere debuerit quovis anno per notabile tempus in illo loco commorari ut incola. Quantum autem tempus „notabile“ censi possit, non omnes conveniunt. Sunt, qui dimidium annum et ultra postulent; alii vero dicunt sufficere, ut tempus illud lato quodam sensu ad dimidium annum accedat, seu ut notabiliter tres menses excedat, v. Laymann l. 1 tr. 4 c. 12 n. 1. Unde satis videtur probabile esse, spatium quatuor mensium pro notabili anni parte sumi.

Qui igitur domicilium aut quasi-domicilium alicubi habent (uti alumni, famuli, officiales, carceribus pro longo tempore inclusi), statim a primo die suae commorationis coram parochio loci *valide* matrimonium possunt contrahere. (Quod etiam satis exprimitur in Conc. Bituric. supra allato et Romae approbato.) At communiter habitatio per mensem requiritur, ut *licite* parochus assistat, quo melius scilicet *constet* de animo contrahentium habitationem in illo loco figendi.

4. Non raro ad Bened¹ XIV. epistolam ad Archiep. Goanum provocatur (vide Avogadro tom. 4 n. 31, et Bullar. Bened. XIV. tom. 4 app. 2) dat. 19. Martii 1758 „*Paucis abhinc hebdomadis*“, qua statuatur, habitationem *unius mensis* sufficere ad quasi-domicilium acquirendum. Verum, licet verba Benedicti XIV. illius opinionis ansam dare potuerint: si melius totus contextus et scopus literarum inspicitur, dici debet, S. Pontificem voluisse tantummodo argumentum quoddam vel adminiculum suggerere, unde, nisi aliud obstet, probatio quasi-domicilii sumatur; nimirum si contracturi asserunt, sibi in animo esse per notabilem anni partem ibi habitare, atque pro argumento habitationem unius mensis jam peractam afferre possunt, ipsis credendum est. At haec non impediunt, 1) quominus etiam aliquando ante mensem elapsum alia argumenta eaque certiora adsint, 2) quominus etiam post elapsum mensem contracturi parochum fallere possint, quum neque habuerint neque habeant in mente in praesenti loco diutius habitare. Cf. doctrina Card. Tarquini hac de re exposita in Actis S. Sedis vol. 7 p. 555 not.¹

¹ Pro stat. foed. Americae septent. autem simplex commoratio unius mensis sufficiens titulus est ad matrimonium valide contrahendum. Nam petente Concilio

5. Vagi, quum nullibi habeant domicilium, ubicunque existunt, ⁷⁷⁶ coram parochio loci valide contrahere possunt. Illud autem discrimen inter vagos et inter eos, qui certum domicilium aut quasi-domicilium habent, existit, quod posteriores coram *suo* parochio aut ejus delegato *ubique* valide contrahere possunt; vagi autem non possunt contrahere nisi coram parochio ejusque delegato illius loci, ubi re ipsa contracturi sunt, nisi forte in illo loco lex Tridentina vi sua destituta est.

Ad II. Loco igitur parochi pro publico seu legitimo teste matrimonii, qui etiam matrimonio benedicere potest, habetur etiam:

Ordinarius et Vicarius generalis pro tota dioecesi;

Abbas quasi-episcopalem jurisdictionem in aliquo territorio exercens pro illo loco;

Archiepiscopus tempore actualis visitationis in dioecesi etiam suorum suffraganeorum: id vero in Germania *non valere*, vide apud Bangen *de matrim.* III. pag. 15;

Legatus Apostolicus in provincia suae legationis;

Papa pro tota Ecclesia.

Ad III. 1. Conc. Tridentinum dicit, ut supra relatam est, de ⁷⁷⁷ legari posse alterum sacerdotem „de parochi vel Ordinarii licentia“. At omnes, qui modo ad II enumerati sunt, comprehenduntur nomine „Ordinarii“, quum aut episcopalem aut quasi-episcopalem jurisdictionem habeant, clarum est. Cf. etiam Reuter *theol. mor.* t. 4 n. 562, Scavini 3 n. 883. Quamquam sine gravi causa id fieri non debet, ut Superiores a parochio ad se hoc negotium advocent: Scavini *ibid.*

Parochus vero ita potitur jure assistendi matrimonio sive per se, sive per alterum sacerdotem, ut Episcopus sua prohibitione id efficere nequeat, ne parochus valide alterum sacerdotem deleget. Quoniam enim Concil. Trid. lege universali hanc facultatem dedit, singuli Episcopi *contra* universalem legem nihil efficere possunt, neque impedimentum matrimonii dirimens latius extendere valent: vide Bened. XIV. *de synod. dioec.* l. 12 c. 5 n. 2.

2. Validus testis parochus tamdiu manet, quamdiu beneficium parochiale retinet. Quare valide matrimonio assistit etiam parochus suspensus, interdictus, excommunicatus, etsi vitandus — quamquam si vitandus est, eum adire *non licet*, et agendum est, ac si nullus parochus adsit.

Si vero beneficio parochiali privatus est, jam non valide matrimonio potest assistere: quod inter alia obtinet *ipso facto*, si fit parochus publice haereticus, i. e. si judicialiter declaratus est haereticus, aut si ipse ita palam et notorie ut haereticus agit, ut publice defecerit a coetu fidelium, v. g. defectione et transitu ad sectam acatholicam. Vide Bangen *de matr.* III. p. 7, Scavini t. 3 n. 882.

plen. Balt. III., S. Officium die 6. Maji 1886, approbante die 12. h. m. Leone PP. XIII., constituit *pro illis regionibus*, eos qui se transferant e loco ubi viget cap. „*Tametsi*“ in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis et status sui libertatem, uti juris est, comprobaverint, censendos esse ibidem habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium contrahendum. Vide Z. Zitelli *Apparatus juris eccles.* pag. 387.

3. *Delegatio* alterius sacerdotis debet esse *expressa*, delegato *nota*, imo nisi delegans ejus Superior est, a delegato *acceptata*: v. Bangen ib. p. 11, Knopp *de matrim.* ed. 3 p. 305 ex responso S. Congregationis 5. Dec. 1626 et 15. Aug. 1628. Potest autem in casu particulari sponsis facultas dari „coram quolibet sacerdote contrahendi“, quae si data est (in scriptis, ut probari possit), electio ex parte nubentium accedat oportet ut conditio, qua perficiatur delegatio ejus sacerdotis, quem elegerint. — Ceterum pro delegatione in casu particulari sponsi nupturi debent prorsus in individuo esse designati, ne errore aut indeterminatione delegatio sit nulla.

Non sufficit igitur licentia praesumpta. — Generalis delegatio ad exercenda munia parochialia ad parochum absentem supplendum sine dubio facultatem assistendi matrimonio includit: num autem alias delegatio, quam parochus sacerdotibus suis adjutoribus generali modo dat, etiam sic intelligenda sit, a diversis circumstantiis et a consuetudine loci pendet. In Germania ii, qui sunt parochi adjutores, vicarii et capellani, sine dubio per se non habent potestatem matrimonio assistendi, sed *speciali* delegatione indigent. V. Bangen l. c. p. 10.

4. Delegari nequit nisi sacerdos: parochus vero proprius, etiamsi nondum sacerdos est, valide matrimonio assistit.

B. Quonam modo parochus et testes assistere debeant.

778 I. Parochus debet saltem ita testis munere fungi, ut aliquo sensu utriusque contrahentis consensum indubie percipiat: aliter matrimonium non valet.

II. Cum eo simul idem percipere alii duo testes debent; aliis verbis: requiritur testium praesentia *formalis*, non sufficit materialis tantum.

III. De cetero alii duo testes facilius ex tota agendi ratione satis percipiunt utriusque contrahentis consensum, quando cum caerimoniis ecclesiasticis matrimonium celebratur. Si enim vident, contracturos libere se sacerdoti sistere, ibique omnia rite peragi, jam moraliter praesentes sunt, ita ut sufficienter de contracto matrimonio testari possint.

Explicatio. Ad I. Parochus est testis primarius et auctoritativus; quare ille imprimis accurate consensum contrahentium percipere debet.

At quocumque tandem modo id percepit, matrimonium, quantumvis fortasse illicite, valide tamen contractum est. Igitur, etsi invitatus audit consensum; vel si fraude, dolo vocatus est; si contra matrimonium protestatur, si ex industria claudit oculos, obturat aures, modo *reipsa* perceperit, sponsos *mutuum consensum declarare*: matrimonium valet.

Imo Ben. XIV. *de synod. dioec.* l. 13 c. 23 n. 10 illud „parochum affectasse non videre neque audire“, quod S. Congregatio (tum anno 1581, tum 1753) dixit valori matrimonii non obstare, ita interpretari videtur, ut fateatur, parochum revera nec vidisse neque audivisse, ipsum tamen in causa fuisse, cur non videret, quum ex industria faciem velaret, aures obstrueret, ne videret aut audiret. Quod tamen non ita stricte sumi debet;

nam revera, nisi reipsa satis intellexerit consensum contrahentium, etsi ex sua culpa testis consensûs dati non sit, ne matrimonium quidem valeat: at affectare me non videre neque audire, communiter tantum abest, ut excludat, me vere rem percipere, ut id includat.

At II. et III. 1. Testes *simul cum parochis* consensum intelligere, est 779 prorsus de necessitate matrimonii: quare non sufficit, ut contrahentes primo coram uno, dein coram altero teste consensum declarent. Sufficeret tamen, si coram omnibus testibus simul primo sponsus, dein, sponso absente, sponsa consensum *de praesenti* declararet, significatâ omnino certe et indubie personâ, quacum contrahant: quamquam id communiter illicitum est, tum propter alias rationes, tum propterea, quia facilius dubium oriri potest, num prior in suo consensu interim permanserit.

2. Etsi quando secundum ritum ecclesiasticum omnia fiunt, testes, qui praeter parochum adsunt, facile ex tota agendi ratione coram parochis consensum satis certo colligere possunt: tamen ut omnis scrupulus praeccludatur, curandum omnino est, ut omnes testes prope ad altare accedant et attendant, saltem pro eo tempore, quo sponsi mutuum suum consensum declarent.

Punctum II.

De extensione et limitatione legis clandestinitatis, seu ubinam vigeat.

I. Exemptio a lege clandestinitatis, si qua est, non tam personalis, 780 quam potius territorialis est: seu mediante territorio multi ab hac lege eximi possunt.

II. Exemptio haec nititur in diversis rationibus, quae sunt: 1) promulgatio alicubi non facta, 2) desuetudo diuturna, 3) dispensatio a S. Pontifice concessa, 4) diuturna impossibilitas tuto accedendi ad parochum ejusque delegatum.

Uberior explanatio. Ad I. Igitur notandum est: A. Etiam quando valor matrimonii a legis Tridentinae observatione non pendet, tamen per se illicitum est, eam negligere. Ut autem magis pateat, quomodo mediante territorio contrahentes quoad valorem a lege Tridentina excusentur, hae regulae generales notandae sunt:

Regula 1. Clandestina matrimonia (clandestina vocamus omnia, in quibus lex Tridentina utcumque non est plene servata) valent, si *in loco, ubi lex Tridentina non viget*, matrimonium contrahitur ab iis, quorum alteruter: 1) ibi habet domicilium, 2) aut quasi-domicilium, 3) aut vagus est, 4) aut advena ex loco, ubi pariter lex Trid. non viget; fortasse 5) si advena ex loco, ubi lex Trid. viget, non tamen ob finem matrimonii contrahendi alienum locum est ingressus: (verum etiamtum, quando sine illo fine alienum locum ingressus est, ille casus n. 5 controversiae subjicitur) ¹.

¹ Nuper valorem talis matrimonii defendit Allègre op. supra laud., in quo succincte et dilucide singula impedimenta suasque de iis sententias exponit.